

QV. 524, 64.

B. m. II 4



FRIDERICVS TAVBMANVS
POETA ET PROFESS. PUBL.

*Bonarum litterarum Candidatis in Acade-
mià VVitebergense:*

ITEM Q.

Viris DOCTIS alibi locorum
S. D.



ANNO
c. 17. 17. 17.

31

FRIDERICUS STAVBMANVS
Hortat et Profess. Publ.

Erasmus Roterodamus
in N. N. N.

1580

Vindicta et a libi locorum

S. D.



cl. la. la.





Omnimodum in memoriam redeo
versus illius, qui hexametrorum omnium
fuisse primus, atq; ab Apollinis sacerdote Phe-
monoe factus existimatur, συμφέρετε πτερὰ, ὄϊ-
ωνοί. ἀνθη τε, μέλισσαι. Gens avium pennas,
apium gens congere flores. Quo juben-
tur singuli, ut illud, quo Natura quemq; maximè armavit, præ
ceteris rebus exerceant, inq; usum communem de industriâ con-
ferant. Atque ego quidem (de me ut loquar) cum à naturâ
pariter atq; à curâ ad id factus, non mihi quidem, non mehercu-
le; quippe qui me omnium familiarissimè nôrim, nec quis sim,
alium rogare necesse habeam; sed inclito potius ac sapientiss.
Principum Saxonie & Academia nostratis Consilio, ab hinc
ferè quadriennio, visus ac iudicatus fuerim; qui locum habe-
rem in Professorum subsellijs, Latinæq; lingue elegantiam ac li-
teras quas vocant humaniores; eas imprimis, quæ Poëtarum
proprie sunt, publicè docerem: quidnî divinitus quasi aurem
mihi vulsam atque illud solemne inclamatum putarem? HOC
AGE. Itaq; dicto audiens egi, quod debui, pro meâ virili:
id est, ligna, lapides & cementum ad hoc Sapientia templum
aggesi & concinnavi. Quæ opera etsi minus splendida & glori-
osa, perutilis tamen & necessaria quin sit, nemo facile negave-
rit; nisi idem & ligna & lapides & cementum alii usus
esse ad excitandum ædificium. Cum autem linguæ atq; ele-
gantia in verbis Latinæ princeps sit Plautus: adeo qui-
dem, ut ipsas Musas non nisi Plauti sermone locuturas
fuisse, si Latinè loqui vellent, doctius sæculum crediderit:
Rectè & ordine (ut in Scti formulis est) me facturum pu-
tavi, si partem ex hoc Autore, rebus omnibus relictis, juven-
tuti proponerem. Neutiquam enim sub initium Professionis
meæ in animum induccham, fore, ut unâ operâ omnes decimæ
hujus Musæ Fabulas explicarem: sed unam tantum & item

alteram nota probioris cogitabam: huic bono & fini, ut oculos ad insolentem lucis Professoria splendorem conniventes sub scenâ hujus Umbri ad patientiam indurarem, & juvenili ingenio quoddam robur inde arcesserem, animumq; hoc quasi socio ad cothurnum & majestatem Poëtarum heroicam paulatim erigerem. Et principio quidem nihil omnino scripturientium turbe dictabam: cum, quod Comicam hanc prælectionem rem triū quasi mensium fore arbitrabar; tum, quod videbam, plusculos non mediocris doctrina & ætatis, & quorum nonneminem vel ipse, quæ mea erat tenuitas, non sprevissem docentem, me non solum intentè, sed propè dixerim obnoxie auscultare: quos intra cancellos juniorum coercere & remorari festinantes, nescio an fructuosum, tædiosum certè fuisset. posteaquam verò argumenta & rationes ad hanc rem plures, quas hîc non refero, animum mihi pervicere, ut hanc Scenam ad extremam usq; Trunculentum desaltarem; meum esse putabam, publicè docentium consuetudine, quâ domi meditata chartis discen-
tium dictando committunt, nō prævaricari, aut certè non obrogare. Meam itaq; opellam ingenis utriusq; auditorii attemperans, adolescentulis quidem annotatiunculam pro ipsorum voto ac captu; adultis verò, quæ privatim curiosius paullo & accuratius ex optimo quoq; nec ubivis obvio autore in hunc usum selegeram, vel è scripto vel memoria tabulis pronuncia-
bam: atq; ita eos, qui nondum ista noverant, docebam; ceteris, qui antè quidem legere se vel audire meminèrant, sed quasi per nebulam & strepitum, oculos & animum clariori interpretatione, ceu faculâ prælucente illustrabam. Atq; hoc quidem tractare me ut τὰς ἐγγύον videri cupiebam, quod tamen, ut ἐγγύον, quasi de industriâ imprimis agebam. Et sciunt doctiores, me, dum unum Plautum prælegi, unum Plautum non explicuisse. Nec tu mihi aliquis non-auditor ex istis annotatiunculis, quas ego quidem dicis causâ junioribus dictavi, proq;
ἀποβλήτοις

ἀποβλήτοις & reiculis jam pridem habui, de meâ scholâ iudicium
 facias. Fam loca quod attinet, ubi verbis nuptis (quæ sic vocant)
 & pretextatis Poëta usus, hoc est, ad mores seculi sui nimis La-
 tine locutus videri potuit, non quidem ea præterivi, sed ita tra-
 ctavi, ut vel Cato, qui quidem Floralia spectare sustinuit, non
 erubisset. Scio, quid non nemo in jocos Pistoris nostri dixerit:
 illiberales eos esse, petulantes, flagitiosos, obscenos. Sed & il-
 lud non nescio, mi homo, quid te paullo doctiores, quid ipse Ci-
 cero de istis indicârit. Fortasse in theatrâli cavillo, aut jocosâ
 ad amicam epistolâ? Non, mi homo, non. ubi igitur? ubi fallere
 & jocari minimè opportunū, illo ipso in libro, quem senex paullo
 ante mortem, tanquam κῆρυξ ἄστυα institutioni filij composuit,
 quemq; tu ipse (scio) haud parvi estimas; nempe de Officiis.
 Quid igitur de Plautino genere jocandi censuit? Id elegans esse,
 urbanum, ingeniosum, facetum, cuiusmodi non modò Atticorum
 antiqua Comœdia, sed etiam Sacratiorum libri sint referti.
 Vestram fidem, Studiosi! Utri creditis? Scio, quid soleat possit-
 què huic obverti. sed, queso vos, bonarum literarum Candidati,
 ferte moram unius quatrîdûi. ut primùm hora nona diei XXIII.
 mensis huius illuxerit, & valetudo hunc animum non destitu-
 erit, Oratiunculam de hoc Romano Pistore, in Collegio Au-
 gusti majore, habebo. ad cuius auscultationem omnes bonarum
 litterarum amicos, qui opera pretium putabitis Collega & bene-
 volenti pauxillum temporis indulgere, diligenter invito. Et
 nisi argumentis vicero, apud eos quidem, qui non sunt pauca le-
 ctionis mancipia: qui nasum habent, interq; cinnamum & ole-
 tum, hoc est, inter germanâ Latinitatis magistros & vulgares
 è Circulis locutores possunt discernere: qui deniq; rationem non
 affectûs in consilium adhibent: (Nam quosdam reperire est,
 opinionis suæ ita prodigiosè pertinaces, ut si pueri aliquando per-
 suasi fuerint, idem esse piper & muscerdam; tuq; non ita esse
 clarè demonstras: isti mâlint tamen semel imbibitâ persuasio-
 ni, contra omnem sensum ac vim veri, patrocinari, quàm erro-

rem senes fateri.) Nisi, inquam, argumentis pervicero, PLAV-
TV Messe Classicum autorem & primæ notæ, Latiniq; sermonis
puritatem ac proprietatem; urbanitatem item, jocos, sales &
illam Atticorum Venerem suppeditare; ob eamq; causam
STVDIOS E. legendum, vel Præceptoris nostri Melanthonis
sententiâ & jussu: haud recusò, quin me omnes cerebrum non
in capite, sed in calcaneis gestare dicatetis. Neq; me fugit,
quàm ridiculus sim futurus DOCTIS, ubi inaudierint me
Plautum tantopere laudare, quem nemo unquam laude dignus
vituperaverit: eum defendere, quem nemo adhuc suo merito
accusaverit: nemo, inquam, cui quidem Candor & Doctrina pe-
tius illustrârunt. Sed patiantur me dimidiam horæ partem
ultrò insanire cum istis, qui dicunt, Solem non esse Solem, sed
Lunam. quo factò, ad me postea redibo. Eâdem operâ vos etiam
certos faciam de autore, in quo deinceps studium nostrum ex-
ercemus. quanquã quid vetat, quo minùs jam idem fiat? VIR-
GILIVS erit, ille, inquam, Poëta, cuius propriè ea gloria est,
ut nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuat: li-
cet eum quidam alteram Naturam, quidam Platonem, im-
mò Deum Poëtarum nominârint. AT Q; ista hætenus.
quæ & mihi & vobis poterant sufficere: nisi occasionem, quam
sæpius de industriâ necquicquam captavi, premendam atq; ur-
gendam hîc arbitrarer, quâ facinoris & instituti mei viros
doctos, qui alibi locorum (nam quot nostratium sunt huius Mu-
se, opinor nosse) participarem. Exstant Clariss. viri, Dion.
Lambini in Fabb. Plautinas Commentarij; copiosi quidem illi;
sed nescio quâ fiat, ut is apud plerosq; tam majorum quam mi-
norum gentium Criticos laudem gratiamq; insignem aliquam
emendati ab se & explicati Plauti agrè inveniat: & Umbro
huic non lucem sed umbram sæpenumero fecisse judicetur. Loca
infinita non adsignabo: docent ipsorum libri, qui inter manûs
versantur. Et certè dubium esse nemini potest, si ipse autor Com-
mentarios hosce edidisset; aut vita eidem ad hunc usq; diem
super-

*superaret, ut aliorum pulcrè & acutè dicta ad Lydium lapidem
 iudicij affricare, atq; ad obrussam veri exigere posset, eū in mul-
 tis & acumen & sententiam suam pœnitendo correcturū: illāq;
 domesticā ubertate paullum accisā ingentem vim & numerum
 Emendationum & Explicationū Commentarijs suis aliunde adje-
 cturum. Vt enim de ijs nihil dicam, qui post hunc, & principē
 illum Plauti sospitatore m Joach. Camerarium, ex professō Comi-
 cum hunc agrum per suas partes ordine expolire aggressi sunt,
 I. Gulielmo, J. J. Douzis, Val. Acidalio, alijs: quis hodie
 in omni ferè disciplinā nomē habet ob literas & libros editos, qui
 non aliquot mergites vel certè spicas ex hoc agro collectas situq;
 abstersas Scriptis suis per occasionē inseruerit? In quorū censu
 primas jure suo tenet illustris ille Musarū & veterum Autorū Her-
 cules Ios. Scaliger, qui unus innumeros locos malè affectos & pro-
 pè depositos passim in libris suis felicissimè restituit et persanavit.
 Atq; utinā sitim eruditorū, quā promissis ab hinc ānos aliquot tri-
 ginta accendit, voluisset restinguere: remq; à capite, & quod A-
 ristoph. ait, ἀπὸ βαλβίδων exorsus, quicquid in regiā hāc Comico-
 rum via arduū & cliuosum, explanasset! laudem certè grati-
 amq; ab ipsis Gratijs & earū alumnis, ob unum hoc factum, soli-
 dam & immortalē iniisset. Plautum .n. purum putum dare aut
 neminem aut Scaligerum posse censuit Lipsius: quem & ipsum
 tamen, si anniti vellet, non imparem huic oneri Scaliger & præ-
 terea non unus in literario senatu censuit, cujus rei specimen de-
 dit in Antiquis & cæteris ingenij sui monumentis: quibus elogiū
 illud sacratiss. Imperatoris Rudolphi promeruit. Jam quid alij
 clariss: eruditionis viri à me cōmemorentur? I. Cæs. Scaliger:
 Had. Turnebus: M. Ant. Muretus: G. Budæus: A. Al-
 ciatus: P. Victorius: Fr. Hotomanus: I. Revardus: C.
 Sigonius: S. Bosius: C. Rhodiginus: B. Briffonius: P.
 & Ant. Fabri: A. Augustinus: I. Gruterus (de quo quidē
 inferiùs plura) El. Vinetus: Tvo Villiomarus: L. Carrio:
 H. Magius: P. Pythœus: Gul. & Th. Canteri: H. Mer-
 curialis: Scipio Gentilis: Læv. Torrentius: Iac. Bon-
 garfius.*

garfius : C. Rittershusius : Is. Casaubonus : Bon. Vulca-
 nius : Hortibonus : I. Bernartius : P. Merula : Ob. Gifa-
 nius : Fr. Modius : I. Parihafius : Iac. Schegkii IC. I.
 Levineius : S. Ulr. Pistoris : I. Meurfius : Hug. Grotius :
 F. Lindebruch : C. Schoppius : Luc. Fruterius : C. Cole-
 rus : Godesc. Stevvechius : P. Ciacconius : G. Stuckius :
 I. Cruquius : Ful. Vrfinus : F. Nansius : M. Ant. Delrio :
 Auf. Popma : P. Colvius : H. Iunius : Des. Heraldus :
 I. Palmerius : Fr. Raphelengius : Rob. Titius : F. Polle-
 rus : I. Curtius : I. Mercerus : I. Durantius : H. Stepha-
 nus : Verderius : Tiraquellus : Langlæus : *alij quasi quin-*
quaginta (quingentos si dicerem, fortasse non mentirer) quos
domi notatos habeo : non numeratis libris fctorum, in quibus
ea deprehendi, quæ non nisi ab huius doctrine peritis explicari
possunt ac debent. præterea Grammatici Omnisq; generis ab
ævo prisco Autorum Interpretes veteres juxta ac recentes :
Adagiorum item Collectores ; atq; adeò ex ijs nonnulli, qui
editis libris Elegantiæ Latinæ linguæ indagarunt. Hi
omnes, alij quidem plus, alij minus, omnes tamen habent, quo
Comicus noster vel E M E N D E T V R, vel E X P L I C E T V R,
vel I L L V S T R E T V R : & quod si non referatur in Com-
mentarium, eum videri minus perfectum dixeris. Quotus
autem quisq; est, qui hos, quos dixi, quosq; nondum dixi, auto-
res O M N E S habeat, aut si habeat, tantum laboris in eam
curam impendat, ut ea investiget, exscribat, digerat : quæ qui-
dem ita habere & legere maximè cupiat? Jam quo tu animo,
Iane Douza, Iani illius Noordovicū Domini, Supremiq; Lugd.
Academiæ Curatoris Fili; quo, inquam, animo nos putas lege-
re tuam illam Editionis Plautinæ appendicem, in quâ non ob-
scure toti Europa (nam ea est nominis tui claritas) ultrò pollici-
tus, te ad hanc faciem ex O M N I B U S, qui aliquid in
Plautum contulerint, quæ ad lucem obscuriorum loco-
rum

rum requirantur, collecturum? Quid melius fuerit, quam
 promissa tandem his decem undecimve annis apparuisse, aut pro-
 pediem apparere? Sed qui hac, quaeso, apparerent, cum tu ipse
 nusquam jam compareas? Fuisti, fuisti flos iuvenum, Douza:
 Quem jam sublimi Sapientia sede locarat
 Prægressum fines rerum, metasq; tenentem,
 Quas pauci tenuere senes. & qua de te plura Scaliger
 & nostrâ laude & seculo major, in Epicedio, quod in Obitum
 tuum dignissimus tuae gentis & ingenij præco divulgavit. Ve-
 rum enim verò tuum erat, Georgi; tuum Francisce, Pleiadis
 Doulicæ (heu jam non-Plejadis!) stella clarissima, promissum
 Opus, sivè jam confectum sivè affectum operâ quasi succedaneâ
 perficere, si hoc; sin illud, in lucem emittere. Sed liceat mihi,
 Candidati literarum, pace illius promissoris dicere, quod in men-
 tem venit suspicari ante hoc ipsum triennium. Ego mecum sic
 cogitabam: Fortasse Douza, cum hanc te lam exorsus esset, præ-
 vidit, quod reverà erat, rem fore & longi temporis, & tædiosi
 laboris, & calumnijs obnoxiam: aut quod potius suspicor, immò
 credo: Sensit igneum hoc ingenium, quiq; Parentis elogium il-
 lud, Vera proles Musarum & alumnus Gratiarum, adhuc
 adolescens meruit, hanc operam se parùm dignam: ut quem non
 nisi ad summa quæq; & præclara à Naturâ instructum didice-
 rat. Simile quid dicere ausim in ceteros harum litterarum
 heroes, qui Plautum edere minati sunt. Factu, Manutium,
 Muretum, Lipsium, Gruterum, Scaligerum, quibus hanc curam
 à Doctis præcipuè desponsam video, Editionē Plautinam parasse:
 an tu aliquis mei similis, hoc est, in his litteris pauperculus,
 propterea rem factam habere, & omnes Umbri hujus umbras
 ab istorum aliquo veluti Sole tibi discussas putares? Ego, si me
 rogas, minimè omnium puto. quippe felices ille & puræ animæ
 ex ingeniorum suorum acumine doctrinaq; copiâ ceteros æsti-
 mant: & qua nos sæpe Herculis clavâ aut Sphingis gripho nodo-
 siora,

siora, Grammaticorumq; & Interpretum crucem atq; eculeum
censemus, ea, ut plana lippisq; ac tōsoribus nota, ne verbo quidem
illi dignantur. Et tales qui sunt, edunt sua tantum, nimium
servile rati in sententijs aliorum conquirendis curā impendere:
etiamsi ad lucem auctoris unicè illas facere non ignorent. Sed quid
interea fit ijs, qui tot aliorum libros non habent? non legerunt?
Ego ipse, quem nonnulli in hoc Comico aliquid videre putant, (et
fortasse luscum inter cæcos præstem, qui tot doctorum libros uni-
us Plauti causâ pellegerim) sæpius in prælectione mentem ejus
non tam capiebam quàm captabam, & aliquem Menippū (nam
hic dicitur viam novisse) aliquoties optabam, qui in eo sumptu
ad inferos proficisceretur, & cū ipso Plauto coràm de hoc vel isto
loco ageret: adeò non varias solum, sed varas, interdum & nul-
las Correctorum & Interpretum sententias in tanto etiam nu-
mero inveniebam. At quò de labor tandem, dum VARA, ut in
Proverbio est, vibiam sequitur? Quin me reprehendo, & albā
lineā rem ipsam signo! COMMENTARIUM PLAUTI-
NUM ego concinnavi. Et quidni interea noctuis utamur, ubi
desint aut potius cessent lusciniæ? Satis diu factum existimo, cum
primum expectare cepimus aliorum in hoc genere lucubratio-
nes. Modum ac viam, quam institi, brevissimis ostendam.
Principiò Fabulæ cuiusq; argumentum posui, verbis non meis,
sed cui Plautus salutē debet, Camerarij. Fabulæ deinceps commu-
nes portiones majores Actūs, horumq; portiones minores Scenas
numeris distinxi, ob causam, quam paullo post dicam. Portio-
ni seu Scenæ suam cuiq; explicationem continuò subjeci. quam
illam? non mehercle domi natam, sed ex varijs omnium atatū
ac disciplinarum libris, quos quidem videre potui, Auctoris cu-
jusq; verbis, quàm fieri maxime potuit retentis, aut interdum
pro re natā (ut sic dicam) compendifactis, salvā tamen ubiq; sen-
tentiā, concinnatam. ita quidem, ut Lambinus, qui in his pluri-
mus, quiq; ex professo hæc egit, ordine cæteros præcedat: hæc cu-
râ se-

râ sedulo adhibitâ, ut ex grandi illâ mole tantum ea, quæ ad rem in primis facere censui, excerpserim. & quod illi vel decies viciesq; immò sepius idem dictum non sufficiebat, ego in cunctis XX. Fabulis plerunq; (modò fieri commodè potuit.) semel, idq; integrè ex integra doctrinâ magistris dictum satis putavi: loco, ubi factû, quoties idem postea occurrebat, accuratè annotato. Atq; huic loco est illa Scenarum distinctio. Dicerem hîc quadam explicatius, nisi festinarem: cui sagax nasus, poterit odorari. Monstroliensem reliqui sequuntur, quos & superius nominavi & quos in ipso Commentario nominandos reservo. cave enim tam iniquè aut lividum me suspiceris, ut vel levissimâ Notâ aut Correctione quèquam velim inter vos sum. quin hoc ea fide & religione observavi, ut si juratus sim Actuarius, majori non possem. Nam quæ potest esse alia doctorum pro tot noctibus vigilatis merces, quàm cujusmodi à Mandrayto Priennense, quem nova quadam de Cælo ac Sole docuerat, Thales postulavit, ut quoties apud alios ea proferret, Thaletem non celaret autorem? Et nescio, quomodo etiam testatiora videantur non solum quæ canâ illâ antiquorum sed & hodiernâ Scaligeri alicujus fide, quàm quæ meâ aut tuâ sunt probata. Ut enim in uno aliquo telo (agnoscitis verba nostri Varronis) aut gladio multum interest, à quâ manu veniat: sic in sententiâ, ut penetret, valde facit robuste alicujus & receptæ auctoritatis pondus. Ceterum in illa discrepantia sententiarum judicium meum non interposui: quod tamen ut facerem, ex amicis quidam autores erant. Et quî potui? Ecce hunc locum ita explicat Lambinus, aliter Scaliger, aliter Lipsius, aliter Gruterus, aliter Douza, aliter Gulielmims. Exempla sunt non una. Jam tu me jube Palæmonem esse & litem inter hos componere. Nego mehercle! Quid ergò, inquis, tuum est in hoc Commentario? dicam tribus verbis, immò totidem litteris, Nil, nisi hæc tria, quæ à me de-

di, aliquam gratiam mereri putabis, Industriam, Fidem, Judicium: illam in colligendo, istam in exscribendo, hoc in concionando. Cetera quæ à me, ut paupere domino, tanquam Musis sacrata sunt libamina, malo aliquando re autore ab alijs estimari: mihi, si cum inventis reliquorum contendam, Nihil (ut dixi) videri debent. Atq; hæc ita, si rectè litavi dea Moneta, bono juventutis à me confecta in pluteis domi asservo, (nec me in illis ponatis, qui Lucinam lunonem clamant fætu nondum concepto) & exspecto si quis alius similem vel (quod malim, quodq; me non dicam curiosior sed doctior facile potest) meliorem operam in hoc Autore illustrando sumat. Cogitabam quidem Epidicum, quam omnium primam tali modo explanavimus, publicè velut in gustum dare & periculi faciendi causâ: sed hanc sententiam postea reprehendi, calculumq; reduxi. Interea non cessavi doctorum quorundam judicium ac consilium privatim per litteras rogare; & uti unà cum illo, si quid hujus in schedis haberent, ad me mitterent. Fisti animo volentes, verbis jubentes, Plauti causâ, nihil non facere, me amare de hoc conatu, juventuti & huic Scholæ gratulari, me hortari, judicio & consilio juvare, sua mittere, & quid non? quorû congerie frustra onerem barbarum aliquem Potitium. In primis I. Gruterus, qui amicus inventus germanum in modum ferentarius, non modò consiliarius. Deum immortalè! (non enim possum quin exclamem;) quid ille post omnes Criticos ac Interpretes in hoc Scriptore non molitus est? quid non emolitus? Non dicam, quot quantasq; Emendationes & Explicationes planè suo & Plauti ingenio genioq; dignas, atq; è libris hujus Musæ aliquot triginta, quos in scrinijs adhuc premit, suâ manû exscriptas ad me tramiserit: Illud est, quod miror, hominem unum cumq; in publico munere, & ut audio (nec enim vidi) corpore non satis robusto, præter cæteras lucubrationes, quæ juris publici sunt, in hoc Comico tantum voluisse dicam an valuisse? Contulit enim Vet.
Edit.

Edit. cum MS. integro Camerarij, itemq; cum alio qui incipiebat à Bacchidibus, tantà curâ ac religione, (scripsissem penè, superstitione) ut crediderim, laboriosum illum Monstrorum comitorem Herculem cum apro cum leone & hydrâ, inq; isto Augia bubili repurgando minus laboris & arumnarum cepisse: minusq; ego mirer illa verba, quæ libro adscripsit; Iam his ejuro omnem Criticam: transeoq; in castra Politices. Transires, mi Grutere: modò promissum de Plauto exsolvisses, ut nomen tuum expungeretur. expungeretur autem? immò cedrinis Memoria tabellis scriptum in Fama templo suspendere-
tur. Quod si non poteris, hoc est, non voles: sume Optionem, sed te & Plauto dignum. nec enim vel tibi vel cuiquam aliij germanam Plauti editionem daturò fraudi est nostra hæc opera: quod ex figurâ ejusdem, quam descripsi, apparebit. Atq; ut Observationes, quas è tuis libris seorsim scriptas, itemq; amicorum Rich. Thomsonij, I. Phil. Parei, H. Groslotij, I. à VVouvveren, aliorumq; è Gallijs & Belgio misisti, accuratissimè annotavi: ita è Plauto tuo cum MSS. Collato tantùm exstantes aliquot lectiones, firmanda huic vel illi sententiæ, transcripsi. Liberè dicam & verè: Requirit ista arumna & liber peculiarem magistrum & me haud paullo doctiorem, minusq; negotiosum: cui reservandum censeo. Et ego (quod te velim scire) non tuis Belgis Gallisvè, sed meis Germanis, quorum ingenia & mores tu aequè nosti, hos Commentarios potissimum attemperavi. Plura non addo, quamvis percupiam. Quemadmodum verò Gruterus re & operâ, sic me præter ceteros juvit magnus Scaliger consilio: quod etiã pro modo Operis instituti sequar: quodq; huc, si fortè usui sit Lectori, (non .n. me Correctorè, sed Collectorem, ut dixi, profiteor) apponam. Te operam (inquit ille) collocare in Plauto emendando, tibi gratulamur: quia illum Scriptorem emendatum dare non cuivis est: & cujus est, ejus & magna laus est. Quare

περὶ ἧς ἔστιν ἡ δόξα, sed spero tibi ἐμαλὴν fore χαλεπὴν περ ἔσσαν.
Et certè iam dudum tantus & tam priscus autor Latine scenæ aliquem, ut tu rectè vocas Ἡρακλέα desiderat. Ego cuperem contextum ipsum purum edi, nullis in orâ notis adpositis, ut vulgo fit: sed quomodo rectè olim edidit unicus Plauti Æsculapius popularis tuus Ioach. Camerarius: qui puro & emendato proximum nobis edidit. Quæ non sunt Plauti, qualia illa olim Amphitruoni infulta, & prologus Bacchidum, & reliqua non quidem recentioris, sed tamen sequioris ævi, in privatum locum conjici debent. Præterea fragmenta omnia sedulo ad calcem ponenda, & illustranda. Hoc modo luculentum Plautū promittere potes, &c. Lugd. Batavorum. X. Kal. Septembris Julianas c10. 10. XC VIII. *Hæc ille, qui quidem unus & re & operâ consilium suum æquare potest. & quia potest, eum publicè obtestor, ut efficiat: nec patiatur hoc delitium humanitatis Plautum diutius obsordescere. De Fragmentis ita & ego censeo. Ne quidem ramentum aut pulvisculus ab illo Colosso dignus est qui pereat. Sed quis converteret? nam ut illa recoquamus, quibus Dionysius molem editionis suæ graviolem fecit, metuo ut sint ad stomachum delicatiorum. nostis enim quàm multifarium sententiæ & verbi monstrum ibi delitescat, Plauti & Collectorum autoritate personatum. Et quanquam larva quibusdam detracta est à disquisitoribus; quedam situ & squallore purgata; quedam sedibus per vim dolumvè occupatis ejeçta; quedam è lustris aliunde in hanc lucem protracta: illi tamen ipsi, qui libros hodie vel scribunt, vel emendant vel emendando (nam & hi satagunt) adulterāt, subinde offendunt, quæ aut reiciant, aut recipiant, aut expoliant, aut interpretentur. Quòd si ego ab initio hujus Curæ per somnium cogitâssem, tale quid futurum, unâ operâ utrumq; potuisset expediri. at nunc ut Fragmentorum causâ tot tantosq; libros*

libros de integro excusiam, mihi quidem factu difficilimum fuerit. Non autem dubitabo, esse vel in Belgio, ab illustri illâ Batavorum disciplinâ, qui de his rem factam habeant. Quae ut publico non diutiùs inuideant, eos per Veneris hunc & Gratiarum alumnium Sarsinatem obtestor. Eiusdem verò erit Fragmenta illustrare, cuius est ipsum Plautum. SED tempus monet, bonarum literarum Candidati, vosq; VIRI DOCTI, ut auleum tollamus & finem huic Sermoni faciamus. Consilium meum publicavi. Vos, qui estis legitimi Curia hujus Senatores, sed & qui non estis, iudicate. vestri enim arbitrij atq; iudicij hoc quicquid est omne facio. Quod si non displicet, publico bono re-ctissime cupientem queso iuuetis; & ad hanc summam vestras quasi symbolas ex omni loco singuli pro copiâ conjiciatis. Rationes accepti atq; expensi omnibus suo tempore faxo apparebunt. Sed & hoc addo: Cum nemo sit tam vigilans tamq; lynceus, qui nunquam conniveat, nusquam offendat, diesq; posterior sit prioris discipulus; omnes eos, qui monumentis abs se olim editis Plautinum aliquid immiscuerunt, quod jam non dictum aut non sic dictum velint, rogatos cupio; ut me pro suo candore submonere, ac Curarum secundarum participare non graventur. Interim ad proximum Veneris oratiunculam, quod dixi, habebō: & ad diem postea XXIX. Novembris optimum maximum Poëta Opus, Aeneida auspiciabor.

TE DEUM IMMORTALEM QUÆSO VENERORQ. HANC
QUALEM-QUALEM OPERAM REIPUB. LITTERARIÆ
FACIAS SALUTAREM.

Publicè Propositum V Vittebergæ
XVIII. Novembris-Julij.

P. SYR.

Grave præiudicium est, quod iudicium non habet.

Bene cogitata si excidunt, non occidunt.

209

0027022 X

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

P. 21 R.

Two horizontal lines with faint text between them, likely a library or archival stamp.

Handwritten mark or signature in the bottom right corner.



8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
B.I.G.
Farbkarte #13



B. m. II, 4



VS TAVBMANVS
PROFESS. PUBL.

rum Candidatis in Acade-
Vitebergense:

ITEM Q.

ET IS alibi locorum
S. D.



ANNO
p. Io. Ic.

